

Etibus augetur, ut rotam molendini circummagat, ad stipulante
Dn. D. CHRISTIANO LANGIO (d. Thermis Carolin. c. 3. §. 32.)
observavitque proinde Cl. VVEPTERUS (d. Apoplex. p. 207.)
rotam etiam hanc topheo candido obduci, dum ita ait: *In agro A-*
ponensi vidi, à Thermarum aqua ad sensum limpidissima ac purissima Ro-
tam Molarem, quam versabat brevi tempore undiquaque, densissimo candi-
cantelapide, unciarum duarum crassitie incrustatam fuisse, quom alternis
mensibus molitores ceu in opera sua remoram, dedolare cogebantur. Immò
planè ab iisdem aquis in saxum conversam muliebrem mam-
mam HEURNIUS se vidisse asserit Method. ad Prax. (tit. lutum
Thermar. p. m. 29.) cum quo conferatur HENRIC, ab HEER,
(Spadacren. c. 2. p. m. 18.)

*Rota Molendi-
ni Topheo ob-
ducta.*

*Mamma mu-
liebris petre-
facta.*

Similem in modum in Germaniâ etiam nostrâ passim, præ-
cipuè verò in Thermis Carolinis sabulum nunc magis, nunc mi-
nus candicans, flavescens aut rubicundum formâ erosorum den-
tium, marginibus parietum adhæret. Atque licet fontes, qui
prætereà in Spâ & Leodii habentur, actu potius frigidi sunt, quã ca-
lidi, HENRIC. ab HEER (Spadacren. c. 7. p. 51) referente; unde
cum aciditate, quam junctam habent, à misturâ chalcanthi, sitim
jucundissimè extingunt: sine prægresso, calore tamen & effer-
vescentia, Mineram Ferri, Chalcanthi, ac aliorum Fossilium, non
acceperunt, quod vel superstes in ipsis sulfuris admistio compro-
bat & frigidioribus quantumvis Acidulis istis hærens. Unde lau-
datus HENRIC. ab HEER (Spadacren. c. 6. p. m. 49.) *Vidimus,*
inquit, Sulfurearum Aquarum quasdam actu frigere, alia tepere, nonnul-
las fervere, ut vel ovo coquendo, vel quibus deplumandis sufficiant, prout ni-
mirum multum parumve Sulfuris admixti habeant.

*Therma Caro-
lina topheo
fera.*

*Fontes Spadi-
em similis in-
dolis.*

*Eorum Mi-
nera.*

Proindeque dum de Thermarum alioque Topheo sabulo
hic sermo est & fontes isti Spadani actu potius sunt frigidi, eorum
tamen mentio nihilominus huc quadrat cum & ipsi sabulosas ad
marginem quasdam Scorias exponant & Ochras veluti, juxta
HELMONTIUM dum ait, (cap. 4. de Lithiasi §. 3.) *Habent Spa-*
dani Fontes spiritum sulfureum manifestè acidum, & Venam Ferri. U-
trumque, nempe Embryonatum immaturumque, continetur liquatum in aquâ
simplici. Mox itaque incipiunt ambo vires reciprocas in se mutuo confere-
re. Atque tandem, cum lassatis viribus stiterint actionem suam, condensan-
tur in Corpus lapideum, lagenis se affigens, in formâ Ocre &c. Liquatas in

B 2

aqua